



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus VII. Argumentum. Donatio Jurispatronatus facta à Novitio Patrono
tempore suæ probationis, an, & quando sustineatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

tum, imo potius ex alia fundatione con-
similis Beneficii in eodem Altari constet
illam sub expressa qualitate hæreditaria
expletam fuisse, & post dictam Clemen-
tinam de anno nempe 1397., in isto casu
omnis præsumptio militat pro qualitate
hæreditaria Jurispatronatus, ad plenè
firmata in *Comen. Cappellania* 31. Martii
1702. §. *Non enim coram Eminentiss. de la
Tremoille*: Potissimè in his facti circum-
stantiis, in quibus observantia succedit
loco deperditæ fundationis. *Tondut. quest.
benefic. par. 3. cap. 157. nu. 4. Modern. Ro-
man. ubi supra num. 32.* quæ non solum
qualitati gentilitiæ non adstipulatur, sed
potius qualitati hæreditariæ congruit,
dum tam uxor, & hæres usufructuaria
Joannis Michaelis fideicommittentis, hac
expressa qualitate in hoc Patronatu præ-
sentavit, quàm etiam Arnaldus in ipsis
met donationibus expressè declaravit di-
ctum Juspatronatus esse hæreditarium
dicti Joannis Michaelis sui patris, ac ad
ipsum dicto jure hæreditario spectare, &
ideo nequeunt Donatarii, qui vigore di-
ctarum donationum in judicio sistunt,
confessionem proprii Auctoris impugna-
re. *Rota coram Buratt. decis. 367. num. 3.,
& coram Coccin. decis. 2305. num. 96., &
in rec. decis. 306. num. 1. par. 5.*

Ex hæcenus igitur firmatis constito de
non jure Joannis, & Josephi putarunt Do-
mini, quòd non sit immorandum in discuti-
endo non jure Antonii præsentati à
Gabriele Rocca posteriori Donatario di-
cti Arnaldi; Tum quia ex superius con-
stabilitis, cadente hoc Jurepatronatus
sub fideicommissio Joannis Michaelis,
ipsa qualitas fideicommissaria, quæ pri-
mam donationem inutilem reddidit in
præjudicium vocatorum ad dictum fidei-
commissum, aufert etiam de medio hanc
secundam favore Gabrielis; Tum etiam
quia optimè conscius dictus Antonius de
obstaculo anterioris donationis, quæ sive
valida, sive nulla ex defectu potestatis
Donantis, semper influit in subversionem
secundæ; hac de causa neglexit ad Judi-
cium venire, & sua jura in Rota promo-
vere.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Donatio Jurispatronatus facta à Novitio
Patrono tempore suæ probationis an,
& quando sustineatur?

SUMMARIUM.

- 1 Donatio jurispatronatus facta à Novitio
intrà duos menses ante professionem, si
hæc non sit valida, suum non sortitur ef-
fectum. Amplia, ut ibi.
- 2 Donatario non licet apprehendere possessio-
nem jurispatronatus, nisi sequuta valida
professione.
- 3 Professio emissa per vim, & metum an, &
quando sit nulla? & num. 11.
- 4 Professio tacita excluditur per reclamatio-
nes emissas tam ante, quàm extra quin-
quennium.
- 5 Donatio jurispatronatus facta à Patrono
ante ingressum Religionis purè, & simpli-
citer, est nulla.
- 6 Donatio jurispatronatus facta ante ingres-
sum, sed intuitu ingressus Religionis non
servata forma Concilii cap. 16. sess. 25.
de Regul. an sustineatur?
- 7 Donatio jurispatronatus facta intrà an-
num probationis statim aut paulò post ju-
sceptum habitum est nulla.
- 8 Donatio jurispatronatus expleta ad for-
mam Concilii d. cap. 16. sess. 25. de Re-
gul. est valida, & num. 10.
- 9 Concilium Tridentinum ubi supra compre-
hendit etiam donationes jurispatrona-
tus, & renunciaciones Beneficiorum.
- 12 Professio emissa non servata forma Consti-
tutionum Religionis an, & quando susti-
neatur?
- 13 Annus probationis an, & quando non in-
terrumpatur per egressum, & fugam à
Monasterio, & num. 14.

CASUS VII.

VEhementibus suasionibus, & assiduis
minis à proprio consanguineo illatis
quidam Patronus expleto probationis
anno devenit ad professionem in Mona-
sterio A. in manibus legitimi Superioris,
absque tamen interventu aliorum Regu-
larium ejusdem Monasterii, juxta Consti-
tutiones Ordinis in professionibus requi-
sito; Tempore Novitiatus, & etiam post
intrà quinquennium continuas reclama-
tio-

tionem, & protestationem emisit, sæpè sapius, de mandato tamen præfati Superioris ad prædia rustica Monasteria, noctis tempore aufugit, non dimisso tamen habitu Regulari, & post paucas horas in Monasterio denuo se recepit, eodem tempore Novitiatus infra duos menses proximos ante professionem cum licentia Episcopi donavit ejus Amico juspatronatus. Quæro an hujusmodi donatio jurispatronatus sustineatur?

1 Respondendum videtur negativè: Ad validitatem enim donationis Jurispatronatus, aut alterius cujuscumque rei facta à Novitio tempore probationis non sufficit, quòd expleatur intrà duos menses ante professionem cum licentia Episcopi, aut ejus Vicarii, sed ulterius requiritur subsecuta professio ejusdem Novitii Donantis, & quidem valida; Si enim Novitius completo anno probationis non emisit actum professionis, aut emisit, sed nulliter, donatio jurispatronatus suum sortiri non potest effectum, sed Novitius Patronus egrediens de Religione illud recuperat, & vacante Beneficio ad ipsum, & non ad Donatarium spectare debet præsentatio, ut disponitur à Concilio Tridentino cap. 16. sess. 25. de Regul. ibi: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque cause pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intrà duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renunciatione etiam jurata sit irrita, & nullius effectus -- ibique Barbof. num. 15. & docent Fagnan. in cap. statuimus de Regular. num. 34. & seqq. Roderic. quest. Canonic. & Regul. quest. 67. art. 11. Tamburin. de jure Abbat. disp. 6. q. 10. n. 6. to. 3. idem Barbof. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 99. n. 11. in fn. Lezzan. in Summ. to. . . cap. 24. n. 36. Capyc. Latr. dec. 29. n. 23. & seq. & notavi superius Part. I. Can. VI. Cas. VII. num. 5. Etiam si esset appositum pactum non revocandi hanc donationem si contingeret à Religione exire, quia hoc pactum esset nullum, uti est nulla ipsa donatio non sequuta valida professione. Gratian. discept. 96. num. 35. ibique Carol. Anton. de Luc. num. 5. & 15. Rocc. respons. 16.*

gal. 85. num. 21. tom. 1. Sicuti ad ipsum Novitium Donantem, & non ad Donatarium spectare debet præsentatio (si idem met Novitius velit præsentare) succedente vacatione Beneficii intrà annum probationis; Quia non licet Donatario apprehendere possessionem jurispatronatus, nisi sequuta valida professione, ut firmavi superius Par. I. Can. V. Cas. III. nu. 2., & in aliis terminis notat Fagnan. in d. cap. statuimus de Regul. num. 48.

3 Professio autem emissà à præfato Patrono ex pluribus capitibus sustineri non videtur; fuit namque inductus ad profitendum vehementibus suasionibus, & continuatis minis proprii consanguinei, quæ cum inducant vim, & metum, & auferant libertatem consensus in profitente reddunt professionem nullam, adeo ut taliter profitenti concedenda venit restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii, ut docet Fagnan. in cap. Perlatum num. 3. & seqq. de iis, quæ vi, metuque caus. fiunt, & cap. Nullus nu. 22. de Regul. & pluries resolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii, signanter in Toletana restitutionis in integrum 13. Aprilis 1715., & in Mantuana restitutionis in integrum 7. Decembris 1715., & in Perusina nullitatis professionis 8. Augusti 1716., & in Syracusana restitutionis in integrum 5. Decembris ejusdem anni, maximè si de vi, & metu constet ex confessione metu incipientis, ut in Taurinen. restitutionis in integrum 20. Februarii 1712., & in Amalphytana restitutionis in integrum 8. Augusti 1711.

4 Nec dici potest idem Patronus tacitè ratificasse suam professionem, eo quia per multum tempus permanferit in Religione; siquidem cum semper tam intrà, quàm extra quinquennium reclamaverit, hujusmodi reclamaciones, & lamentaciones professionem tacitam excludunt, cum expressus dissensus faciat cessare præsumptionem taciti consensus ex permanentia in Religione. Text. in cap. 2. & cap. cum virum de Regul. Card. de Luc. de Regular. disc. 45. nu. 5. Pignattell. consult. 173. n. 76. tom. 9. & consult. 76. num. 57. tom. 10. Barbof. ad Concil. sess. 25. de Regul. cap. 19. n. 20. Ursaya discept. Eccles. par. 1. discept. 1. n. 10. Rot. dec. 579. n. 3. par. 1., & dec. 221. n. 20. p. 13. rec. & dec. 14. n. 12. penès Monacel. p. 2. Est

Est etiam nulla eadem professio, quia fuit expleta à Patrono non servata forma Constitutionum Religionis, nimirum in manibus legitimi Superioris Monasterii absque interventu aliorum Regularium à Constitutionibus requisito. Et denique, quia annus ejus novitiatus non fuit continuus, sed interruptus, dum pluries aufugit, & exiit è Monasterio tempore probationis, juxta *Tridentin. cap. 15. sess. 25. de Regul. ibique Barbof. num. 24. Ciarlin. contro. forens. lib. 1. cap. 108. nu. 15. Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. disput. 6. qu. 7. num. 9. Gratian. decis. March. 35. nu. 3. in addit. Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 101. num. 23.* Ex qua nullitas professionis sequitur perneceffe nullitas etiam donationis, adeout vigore hujus non fuit abdicatum à Donante Juspatronatus.

Hæc omnia suadere videntur nullitatem præfatæ donationis, sed pro clara notitia, & plena resolutione hujus quæstionis considero donationem Juspatronatus in multiplici statu. Primò nimirum ante ingressum Religionis purè, & simpliciter factam. Secundò, factam ante ingressum, sed intuitu ingressus. Tertio, intrà annum probationis factam statim post susceptum habitum. Quartò denique factam intrà duos menses proximos ante professionem cum licentia Ordinarii, aut ejus Vicarii Generalis.

5 Si donatio Juspatronatus sit facta à Patrono anteaquam ingressus fuerit Religionem, & habitum Novitii susceperit purè, & simpliciter, nulla facta mentione de ipso ingressu, certum est illam esse validam, et si Patronus è Religione egrediatur, eum non recuperare Juspatronatus. *Capyc. Latr. decis. 31. num. 2. tom. 1. Rot. apud de Marin. resol. jur. lib. cap. 196. num. 10.*

6 Si donatio ejusdem Juspatronatus sit facta ante ingressum, sed intuitu ingressus Religionis magna est inter Doctores controversia super ejus validitate. Aliqui tuentur esse nullam utpotè factam contra formam à Sacro Concilio Tridentino ubi supra præscriptam, ex ea ratione moti, quia nisi esset nulla, & Concilium non comprehenderet hanc donationem, elusoria redderetur dispositio Concilii, dum semper procurarentur donationes, & re-

nunciaciones ante ingressum, ita *Navar. cons. 7. num. 2. & cons. 8. num. 1. de donat. Cancr. var. resol. par. 2. cap. 7. num. 82. Rocc. respons. 85. num. 2. & seqq. Rot. dec. 8. num. 13. post Tamburin. de jur. Abbatif. Alii verò tuentur esse validam, & non subjacere dispositioni Concilii, quam sententiam sequor, & puto veriore, nisi clarè constet donationem fuisse factam in fradem Concilii; quia Concilium loquitur de ingresso, & non de ingressuro in Religionem, & quia in donatione ante ingressum servari non possunt solemnitates ejusdem Concilii, ut expressè sentiunt *Fagnan. in cap. statum de Regul. num. 42. & seqq. Garz. de Benef. par. 11. cap. 9. n. 15. Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 10. num. 10.* ubi ita resolutum refert à Sacra Congregatione Concilii *Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 99. num. 17. Lezzan. in Summ. Regul. verb. Novitii num. 30. tom. 2. & cap. 24. nu. 34. tom. 1. Capyc. Latr. decis. 31. num. 3. lib. 1. Roderic. quæst. Regul. 47. art. 8. Cancr. var. resol. par. 3. cap. 15. num. 335. de Marin. lib. 2. cap. 196. num. 13. & seqq. Gratian. decis. March. 37. num. 1. cum seqq. ibique Carol. Anton. de Luc. num. 1.**

Nec admissa hac sententia redderetur elusoria dispositio Concilii, eo quia procurarentur donationes ante ingressum, quia istæ donationes sic ante ingressum procuratæ, licet non subjacerent dispositioni Concilii, subjacerent tamen dispositioni juris communis, à quo statuitur illas non habere effectum, nisi sequuta valida professione, ut bene respondit *Fagnan. in d. cap. statum de Regul. nu. 46. in fin.*

7 Si verò donatio Juspatronatus sit facta intrà annum probationis statim, aut paulò post susceptam habitum est nulla, dummodo sequuta fuerit post publicatum Concilium, & in eis partibus, in quibus Concilium fuit acceptatum, ut patet ex lectura ejusdem Concilii *ubi supra*, & notant *Tamburin. de jur. Abbat. disput. 6. quæst. 10. num. 5. tom. 3. Barbof. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 99. num. 1.*, & resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Licien. 6. Decembris 1642. lib. Decret. 17. pag. 121. & in Cremonen. lib. Decret. 21. pag. 243.*

8 Denique si donatio Juspatronatus expleta

pleta fit intrà duos menses ante profef-
fiones cum licentia Episcopi, aut ejus
Vicarii, aut Vicarii Capitularis sede va-
cante, aut alterius habentis jurisdic-
tionem quasi Episcopalem cum Territorio
separato, est valida, & sequuta profef-
sione suum fortitur effectum, *Tambur. de
jur. Abbat. tom. 3. disput. 6. num. 1. Lez-
zan. Sum. Regul. verb. Novitii num. 25. &
seqq. tom. 2., Cancer. var. resol. par. 2.
cap. 1. num. 123., Barbos. de offic. & po-
test. Episcopi par. 3. alleg. 99. n. 11.*

9 Dices fortasse Concilium Tridentinum
ubi supra licet admittatur comprehende-
re donationes Jurispatronatus unà cum
universitate bonorum, tamen videtur ha-
bere non posse locum in donationibus Ju-
rispatronatus specificè, & secundum se-
sumpti, tum quia loquitur ibi de dona-
tione bonorum, tum quia in his dona-
tionibus cessat finis Concilii, qui fuit nè
impediretur libertas egressus ob timo-
rem, quòd Donans non possit recuperare
bona, quæ intuitu ingressus donavit, *Roc.
respons. 85. num. 6. tom. 1. Lezzan. in Sum.
cap. 24. num. 33. tom. 1. Carol. Anton. de
Luc. ad Gratian. decis. 37. num. 1. Rota
decis. 8. num. 14. post Tamburin.*

Sed contrarium verius de Jure procedit,
quoniam Concilium loquitur genera-
liter de donatione bonorum Novitii, no-
mine autem bonorum non solum veniunt
bona temporalia, sed etiam spiritualia,
aut spiritualitati annexa, adeòque com-
prehendit etiam donationes Jurispatro-
natus specificè sumpti, sicuti compren-
dit renunciaciones beneficiorum Novitii,
licet beneficia non sint bona merè tem-
poralia, *Fagnan. in cap. statuimus de Re-
gul. num. 18. Lezzan. in Sum. verb. Novi-
tii num. 31. tom. 2.* Nec cessat in his dona-
tionibus finis Concilii, quia ipsæ retra-
here possunt Patronum donantem ab
egressu, & sic aliquo modo impedire om-
nimodam libertatem Novitii egrediendi
à Religione, sicuti eam impediunt renun-
ciationem Beneficiorum.

10 Considerata igitur donatione in hoc
multiplici statu jam clarè apparet præsen-
tem donationem Jurispatronatus factam
à Patrono tempore sui Novitiatu esse
undequaue validam, dum fuit per Pa-
tronum canonicè expleta cum omnibus
suis requisitis Concilii, nimirum intrà

duos menses proximos ante profef-
sionem, & cum licentia proprii Ordinarii, &
denique validam emisit professionem, un-
de Juspatronatus ad ipsum amplius spe-
ctare non potest, sed illud transivit ad
donatarium, ex auctoritatibus supra dedu-
ctis §. Denique.

11 Ea verò, quæ contra validitatem pro-
fessionis superius objiciebantur non me-
rentur attendi; Etenim quòd Patronus
emiserit professionem ductus suasionibus,
& minis proprii consanguinei, ex hoc ne-
quit deduci eum nulliter professum fuisse;
Quoniam non omnis vis, & metus est suf-
ficiens reddendi nullam professionem,
sed solum illa vis, & metus, quæ cadunt
in constantem virum, & quæ sunt illata
directè ad extorquendam professionem;
*Card. de Luc. de Regul. disc. 44. nu. 4. Sa-
cra Congregatio Concilii in Urbvetana
restitutionis in integrum 11. Martii 1713.,*
& in his terminis procedunt resolutio-
nes ejusdem Sacræ Congregationis in
contrarium allatæ; unde cum vis, & me-
tus in casu præsentis non probentur qua-
lificata his circumstantiis, professio non
dicitur nulla, nec est locus restitutioni
in integrum, *Fagnan. in cap. Perlatum de
iis que vi, metuque caus. fiunt, & pluries
declaravit S. Congregatio Concilii, præ-
sertim in Aretina Restitutionis in integrum
6. Augusti 1712. in Tusculana Restitutionis
in integrum 19. Augusti 1713. in Patavi-
na Restitutionis in integrum 13. Janua-
rii 1715., & in Bononien. Restitutionis in
integrum 18. Maji 1715.*

12 Neque est nulla, eo quia Patronus emi-
sit professionem purè, & simpliciter in
manibus Superioris absque interventu
aliorum Religiosorum à Constitutionibus
Religionis requisito, quia Constitutiones
non requirunt hujusmodi interventum
pro forma substantifica professionis, dum
non decernunt eam irritam aliter factam,
neque præscribunt, quòd professio aliter
fieri non possit, prout requiritur ad effe-
ctum, ut professio facta contra formam à
Constitutionibus præscriptam sit nulla, ut
animadvertit *Fagnan. in cap. perceptum de
regul. n. 47.*

13 Nec dici potest annus probationis non
fuisse continuus, sed interruptus, eo quia
patronus pluries intrà eundem annum
egressus fuit à Monasterio accedendo ad
prædia

prædia proprii Conventus, quia egressus fuit à Monasterio non proprio Marte, & animo deferendi Religionem, sed de licentia proprii Superioris, ac proinde ratione hujus egressus à Monasterio annus probationis dici non potest interruptus, & discontinuus, dum manens extra Monasterium sub obedientia Superioris, & eum ejus licentia dicitur residere intrà illud *Roderic. quest. Regul. tom. 3. quest. 15. art. 10. Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. disput. 6. quest. 11. num. 18. Barbosa. ad Concil. cap. 15. sess. 25. de regul. nu. 28. & seqq. & de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 107. n. 28.*

- 14 Minusque dici valet interruptus idem annus ratione fugæ, quam arripuit Patronus à Novitiatu noctis tempore, quia hæc fuga contigit non dimisso habitu Regulari, & per paucas horas, & sic est ineptus interrompere annum probationis, ut in similibus terminis resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Tiburina restitutionis in integrum 7. Julii 1703.* non obstante, quòd quidam Novitius, tempore bacchanaliorum nonnullis vicibus extra Conventum permanferit pernoctando etiam domi suorum fratrum, & in *Patavina restitutionis in integrum 29. Novembris 1710.* Non obstante, quòd quidam Religiosus tempore Novitiatus crebrò de nocte per fenestram cum habitu sæculari à Conventu evasisset, & novissimè in *Cassanen. Professionis 21. Augusti 1717.*

ARGUMENTUM.

Donatio secunda Jurispatronatus an sustineatur, quando conditio, sub qua fuit concepta prima donatio non fuit impleta per primum Donatarium intrà terminum statutum.

SUMMARIUM.

- 1 Donatio jurispatronatus facta à Patrono cum pacto, ut Donatarius subministret expensas necessarias pro reparatione Ecclesie an sit Simoniaca? Vide num. 10.
- 2 Donatio modalis jurispatronatus, qua incipit à traditione statim sortitur effectum, & Donatarius solùm tenetur ad adimplementum.
- 3 Donatio jurispatronatus dicitur resoluta, non impleto per Donatarium modo, sive

conditio in donatione apposta. Amplia ut num. 4. limita ut num. 8.

- 5 Purgatio mora non habet locum, quando resolutio donationis prætenditur non per viam pæna, sed ob inadimplementum modi, seu pacti in donatione apposti.

- 6 Resoluta prima donatione ob inadimplementum modi, sive conditionis, Patronus potest validè devenire ad novam donationem.

- 7 Secundus Donatarius jurispatronatus non potest illius possessionem apprehendere nisi citato primo Donatario, & obtenta prius sententia declaratoria Judicis super facto, & quare? Vide num. 8.

- 9 In concursu duarum donationum, an & quando donatio anterior sustineri debeat.

- 10 Patronus in actu donationis jurispatronatus, quas conditiones possit, & quas non possit apponere? Vide ibi.

CASUS VIII.

Quidam Patronus donavit donatione inter vivos de consensu Ordinari Titio præsentis, & acceptanti jurispatronatus cum onere, & conditione, quòd ipse intrà quatuor menses subministraret expensas necessarias pro reparatione Ecclesie Patronalis, quam ipse donans intrà dictum terminum reparare intendebat, & succedente paulò post vacatione ejusdem Ecclesie Titius Donatarius præsentavit ad illam Rectorem. Elapsis autem quatuor mensibus, & non reparata Ecclesia, nec subministratis per Donatarium expensis idem Patronus existimans Titium in adimplemento conditionis defecisse ad novam donationem jurispatronatus cum eodem onere, & conditione devenit favore Caji. Quæritur an, & quæ donatio sustineatur?

- 1 Videtur dicendum neutram sustineri, Patronus namque processit ad utramque donationem non liberaliter, prout insinuat ab Alexandro III. superius *Can. XVIII. in illo verbo. liberaliter*, sed exigendo ab utroque Donatario subministrationem expensarum pro reparatione Ecclesie in recompensationem donationis, & sic aliquid temporale pro Spirituali. Unde tamquam simoniaca videtur utraque improbanda juxta *Canones XII. & XIII.* & auctoritates ibi in *Commentario*, ac in *Cas. I. num. 6.* relatas.

At